



**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

3 Quomodo ferenda sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

37 Tandem aduerti potest in Conc. Trid. sess. 25. ca. 12. de Refor. regularium. præcipi regularibus, vt in Ecclesijs suis seruent, & publicari faciant censuras, & interdicta, etiam ab ordinarijs Prælati promulgata, & ipsi præcipientibus. Vnde dubitari potest, an hoc præceptum extendatur ad cessationem, quæ non est censura, nec interdictum. Item, an extendatur ad cessationem, quæ non ponitur à Prælato, sed ab aliquo Capitulo. In vtroque tamen censeo respondendum esse negatiue, quia verba sunt stricte intelligenda; & ideo iuri communi quoad hoc standum est, & præterea consideranda sunt privilegia postea concessa: nam hæc ex vi illius decreti Concilij Trid. non sunt reuocata: Præter hanc vero poenam nulla alia est ipso iure lata, quæ inter effectus cessationis valeat numerari.

Satis sit duplici dubio.

SECTIO III.

Quas ob causas, & quomodo ferenda sit cessatio à diuinis.

De causa materiali cessationis.

Hic potissimum immorandum est, in explicando modo ferendi cessationem: nam ceteræ causæ breuiter expediri possunt. De materiali enim dicimus esse aut locum, prout in interdicto, aut certo homines in ordine ad locum, in quo diuina facere prohibentur. Vel certe dicere possumus homines esse materiam veluti subiectum, locum circa quam. Solum ergo queri posset, an cessatio hæc licite ferri possit pro vniuersa Ecclesia. Aliquibus enim videtur hæc esse contra ius diuinum, quod videtur obligare, vt saltem alicubi offeratur quotidie sacrificium in Ecclesia. Sed non video vbi hoc ius diuinum latum sit: & ideo de absoluta potentia summi Pontificis non existimo hoc repugnare, si causa subesset, credo tamen moraliter subesse non posse, & ideo talis cessatio sicut hæcenus nunquam lata est, ita neque expediet vnquam.

De efficiente dicendum est, qui potest ferre interdictum; posse etiam cessationem ponere. Ita sentiunt Sylu. Ang. & alij verb. C. 1. de Offic. Sacerdotis, dist. 22. q. 3. art. 2. Covar. c. Alma, p. 2. §. 2. nu. 6. & colligitur ex citatis iuribus. Ratio vero est, quia iurisdicção Episcopalis, & communis ac publica fori contentiosi ecclesiastici ad hoc sufficit. Nauar. autem c. 27. nu. 189. sentit solum Papam posse cessationem ponere post interdictum. Et fundari videtur, quia solus Papa potest restringere cessationem, c. Alma, quod per talem cessationem fieri videtur. Dicendum vero est, hoc posse etiam Episcopos: quia pertinet ad ordinariam potestatem eorum etiam iure antiquo, & nullibi est ablata. Et ita habet vsus. Neque hoc prohibuit c. Alma, quia cessatio est nouum vinculum distinctum. Vnde, licet manendo intra limites censurae interdicti, solus Papa possit illud restringere contra diuisionem c. Alma, tamen supra illud cessationem addere etiam Episcopi possunt. Sub quibus comprehendimus Capitulum, Sede vacante, vt notauit Glossa in c. Canonici, de offic. ord. & Iudices ab his delegati iuxta generalem doctrinam supra traditam.

Additur vero in Clem. 1. de Sent. excomm. non solum provinciale Conciliū, sed etiam aliquod capitulum, vel Collegium posse cessationem ponere. Quod etiam sumitur ex d. c. Siccanonici, & ea. Quamuis, de offic. ordin. Hoc tamen posterius difficile est, quia tales communitates non possunt censuras nec leges ferre. Propter quod Glossa ibi, & Panor. dict. c. Dilectis, nu. 18. putant id esse intelligendum vbi ex consuetudine legitime præscripta acquisitum fuerit illud ius: nam alioquin ordinariū nō est, vt constat ex c. Quasiuis, de His quæ sunt à maiori parte Capituli.

Tertia causa cessationis est finis, qui si sit proxi-

mus, & per se idem est quod effectus; si vero sit re-motus, & primario intentus, est rigor Ecclesiasticæ disciplinæ, vt rebelles tandem recedant à contumacia. In hoc enim conuenit hoc vinculum cum alijs proprijs censuris, quod non fertur in puram poenā, & vindictam delicti; id enim plane repugnat, tum quia cessatio priuat bonis maxime spiritualibus, quibus nō debent priuari fideles ob solā vindictam nisi interueniat etiam contumacia, vt ab ea recedat: tum etiā, quia hæc cessatio æque, vel quodammodo magis ligat innocentes; & ideo potius est quasi terror quidam Ecclesiasticæ potestatis, quam propria vindicta, seu poena, vt in prima sectione latius declarauimus. Hinc vero fit cessationem, vt iuste feratur, necessario supponere delictū, illudque grauissimū, quia nec contumacia esse potest sine delicto, nec medium adeo acerbū, & periculolum assumendum est ad eum finē sine grauissima causa. Vnde, quāuis necesse non sit tale delictum inueniri in omnibus illis personis quæ per cessationem ligantur; necesse est tamen, vt publicum delictum sit, & contrarium communi bono ipsius Ecclesiæ, seu Ecclesiasticæ potestatis, vt citata iura insinuant, & ratio facta conuenit, & a fortiori constat ex dictis supra de interdicto: nā quoad hoc interuenit similitudo inter hæc duo. Quocirca, si tractemus de causa quasi per accidens, quæ potius est occasio ferendi cessationem, id in summa dicere possumus, quod dicitur in c. Irrefragabilis, §. Ceterum de Offic. ord. debere esse causam manifestam & rationabilem; circa quam etiam seruanda sunt quæ statim in sequenti puncto adnotabimus.

Vltimo ergo loco dicendū superest de forma seruanda in ferenda huiusmodi cessatione; circa quam primo seruanda sunt ea, quæ de forma ferendi censuram in communi adnotauimus: nam quæ ibi diximus esse substantialia, in hac etiam sententia ferenda æque necessaria sunt, quia non oriuntur ex specialitate censuræ, sed ex generali ratione sententiarum: Vnde, quæ ibidem diximus de sententia iniuncta, vel nulla, hic accommodari possunt. Quæ vero pertinent ad solennitatem accidentalem præscriptam maxime in c. 1. de Sent. excomm. in 6. in rigore, & ex vi illius textus, non videntur requiri in hac cessatione: quia illa solum præcipiuntur seruari in excommunicatione ferenda, & extenduntur ad solam suspensionem, & interdictum, sub quibus in rigore non comprehenditur cessatio. Nihilominus tamen videtur consuetudine receptum, vt illa etiam forma feratur in hac sententia ferenda, vel propter similitudinem rationis, quæ sumitur ex principio illius text. Cum medicinalis sit excommunicatio non mortalis: nam etiam cessatio medicinalis esse debet, vel certe ex alijs decretis, quæ mox declarabimus.

Secundo ergo aduertunt auctores, in cessatione ferenda seruandas esse decem conditiones, quas colligunt ex ca. Si Canonici, & c. Quamuis, de Offic. ord. in 6. circa quos textus oportet aduertere, eos non loqui de omni cessatione generatim sed specialiter, de illa quæ fertur ab aliquo Collegio, vel Capitulo ex privilegio, vel consuetudine; non vero de illa quæ fertur ab Episcopis, seu ordinarijs iudicibus. Vnde c. Quamuis, de Offic. ord. in 6. ita sunt propriæ priorum cessationum, vt non possint posterius accommodari, aliæ vero omnibus possunt esse communes: tamen ex vi illorum textuum non eque exiguntur in vtrisque, quia vt dixi, non de omnibus generatim loquuntur, sed ex quadam rationis paritate, & æquitate illæ conditiones, quæ generales esse possunt, pro omnibus admittuntur, iuxta communem modum loquendi Doctorum, quod censeo verum si sit consuetudine receptum, & non alias, quia sola similitudo rationis non sufficit, vt ex sequentibus constabit.

Prima ergo conditio est, vt, antequam cessatio feratur, causa cessationis in instrumento publico, seu authent-

authenticis scriptis referatur, id est, per scripturam confectam a publico tabellione, aut per patentes literas authenticas sigillo munitas. Secunda conditio est, ut hoc instrumentum, seu patentes literę ei tradantur contra quem cessatio intenditur. Hę duę conditiones ponuntur in ca. Si canonici, & in illis virtute includuntur alie duę, quę ab autoribus distincte numerantur. Vna est, ut cessatio sit ponenda ab eo, vel

ab his, qui vel a iure, vel a consuetudine, aut privilegio ad hoc habent auctoritatem. Alia est, ut causa sit canonica, ita enim in illo textu appellatur, sub qua voce, ut ibi Glossa notavit, includuntur illa duo, quę expressa ponuntur in c. Irrefragabilis §. Caterum, de Offi. ord. scilicet, ut causa sit manifesta, & rationalis. Manifesta quidem, quia cessatio est valde publica, & in publicum grauiamen Ecclesię; & ideo necesse est, ut manifestam contineat causam. Quod adeo verum est, ut nulla consuetudo in contrarium possit prævalere, ut auctores statim citandi dicunt: quia esset talis consuetudo valde onerosa, ideoque perniciofa Ecclesię, & ideo prævalere non potest, iuxta c. 1. & c. Cum venerabilis, de consuet.

Rationalis autem causa esse debet, tum ex generali ratione, quod ad omnem honestam actionem hoc necessarium est, & multo magis ad iustam prohibitionem, vel penam: tum etiam, qui in hoc includitur, ut casus hæc esse debeat proportionata, quia non pro quacumque offensa, sed pro graui iniuria ferri debet, ut ibi notat Glossa ponens exempla, si fiant statuta contra libertatem Ecclesiasticam, si talliæ vel collectę clericis imponantur, si clericus, vel Canonicus per secularem ballium detineatur. Ex quibus facile erit de similibus iudicare.

Atque ita concipiuntur quinque conditiones earum decem quas auctores ponunt: proprie tamen ad præsens tantum pertinent duę primę: nam alię tres quę magis substantiales sunt, ad duas causas proximę præcedentes pertinent, ut videmus. Circa duas vero conditiones primas obseruare licet, illas communes esse posse omni cessationi a quocumque feratur, esseque simillimas illis, quę in censura ferenda præscribuntur in dict. c. 1. de Sent. excom. in 6. & ideo probabile est seruandas esse etiam a Prælati, vel ordinariis iudicibus volentibus cessationem ponere. Obseruo etiam ex vi illius textus non poni has conditiones ut substantiales: nullum enim verbum ibi ponitur, quod declarat ex defectu harum conditionum sententiam esse irritam, sed solum esse iniuste latam, & qui illam fert, incurrere penam ibi præscriptam, & infra declarandam. Nec in eo capite alia conditio adiungitur, sed reprobatur abusus quorundam, qui ad maiorem populi horrorem, cum ferebatur sententia cessationis, imagines Virginis, & aliorum sanctorum prosternebant in terra, & vtreis, spinisque supponebant: quod erat imprudens factum, ac detestabile sacrilegium.

Alię quinque conditiones sumuntur ex dict. ca. 6. Conditio, Quamuis, eod. tit. Sexta ergo conditio est, ut ad cessationem hanc ferendam omnes, qui sunt de Capitulo euocentur, prout sunt (dicitur ibi) pro electionis negotio euocandi: ubi Glossa aduertit, in hoc seruandam esse consuetudinem, ut vel solum presentes, vel etiam absentes ex locis magis, vel minus remotis conuocandi sint. Ita enim erit hoc obseruandum in cessatione ferenda, tamque erit necessarium ad valorem eius quantum ex iure, vel consuetudine ad electionem fuerit: nam in textu illo æquiparantur. Septima conditio est, ut post conuocationem circa cessationem ferendam diligenter deliberent. Quã deliberationem ita Glossa exponit, ut ad cessationem ferendam requiratur tractatus, sicut ad alienationem perpetuam rerum immobilium Ecclesię, iuxta c. vlt. de Rebus Eccles. non alienand. in 6. tamen ex vi verborum illius textus nulla specialis solēntas ad hoc necessaria est, præter naturam, & diligetem consolationē ad quã

spectat, ut omnium iudicia, & suffragia audiantur circa causam cessationis, an legitima sit, necne, & circa cessationem ipsam, an poni expediat, necne, supposita tali causa: & ideo Sylu. Ang. Sot. & alij hanc conditionem in duas distinguunt, ita ut septima conditio sit quo tractetur de causa, & cōuenientia cessationis. Octaua vero sit, quod de ipsa cessatione deliberetur, id est suffragia ferantur, quod per se constat esse magis necessarium. Vnde recte aduertit Soto necessarium esse, ut maior pars suffragiorum conueniat in cessatione ponenda, quod est manifestum, tum quia in eodem textu hæc actio comparatur electioni, quã a Capitulo fit, electio autem, ut ordinario iure valida sit, debet fieri maiori parte Capituli, iuxta c. Coram, de Elect. tū etiã, quia ex natura rei videtur hoc esse necessarium supposito modo ferendi talę sententiam scilicet, a pluribus, ut efficientibus vñ corpus morale: nam, si inter se desideant, ut minimum requiri debet maioris partis consensus, ut talis actio toti corpori tribuatur.

Circa has vero tres conditiones obseruare licet, non habere locum in cessatione, quã fertur ab Episcopo, vel alio iudice ordinario. Nam, cum ibi sententia feratur ab vna persona tantum, non habet locum conuocatio, vel consultatio plurium. Extendi tamē potest ad cessationem, quã fertur a Capitulo Sede vacante: quia, licet eam ferat potestate, & iure ordinario, quia in his succedit in locum Prælati; tamen & ob similitudinem rationis, & ex vi verborum textus habet locum extensio, quia dictum c. Quamuis, absolute loquitur de Capitulis, & c. Si Canonici, dicit, Si ex consuetudine, vel alias, sub qua posteriori particula potest comprehendi quilibet modus habendi hanc iurisdictionem. Verum est cum Capitulum Sede vacante exerceat hos actus per Vicarium ad hanc iurisdictionem exercendam creatum iuxta Conc. Trid. tū ab ipso solo posse ferri cessationem, sicut a Vicario Episcopi; neque habere locum has conditiones.

Nona conditio est, ut moneatur persona propter cuius iniuriam videtur faciendā cessatio, ut irrogatam iniuriam, vel offensam emendet. Et explicatur distincte in dicto c. Quamuis, hanc monitionem esse faciendam post prædictas vocationem & deliberationem de cessando habitas. Quod merito ita cautum est, ut admonitio maiori auctoritate, & consequenter cum maiori spe fructus fiat. Vnde merito additur, si persona sic admonita emendetur, seu satisfaciatur, vel si per ipsosmet capitulares fieri quominus emendatio fiat, cessationem ferri non posse, quod necessarium est consequens ad hanc monitionem alioqui frustra feret. Et hæc conditio locum habere potest in quocumque Prælati ferente cessationem, & videtur per se necessaria ex vi, & quasi natura talis prohibitionis: nam sicut in hoc conuenit cum censura, quod fertur, ut a contumacia recedatur, ita etiam in hoc, quod præuiam monitionem requirit. Quod vero fiat tali tempore, & modo, id specialiter hæc lege præscribitur, & videtur necessarium, ut recte fiat, non tamen ut sententia valida sit, dummodo sufficiens monitio præcedat, hæc enim simpliciter videtur necessaria iuxta ea, quę in simili de censura diximus.

Vltima conditio est, ut post cessationem positam, nisi partes intra mensem in concordia veniant, & cessatio cesset, teneantur, tam qui cessationem ponunt quam illi, quorū causa ponitur, per se, vel per procuratores idoneos cum munimentis, & actis ad negotium spectantibus ad Sedem Apostolicam accedere, ut quid agendum sit ab illa declaretur. Circa quam conditionem dubitatum est, an transacto illo mense possit cessatio tolli, antequam per Sedem Apostolicam tollatur si partes in concordiam veniant: qui busdam enim visum est non posse tolli, quia iā causa deriuata est ad Sedem Apostolicam, & quia expressum est in

Sylu. Ang. Soto. 8. Conditio. Opus est ut maior pars suffragiorum conueniat in cessatione ponenda.

Notandum circa tres primas conditiones.

9. Conditio. Quamuis

Præmissa de monitione ut cessatio, valida feratur.

12. Conditio. Si partes in concordiam veniant, potest tolli cessatio sine processu ad Papam.

se in illo textu solum conceditur tēpus vnus mensis, vt hæc concordia fiat, & cessatio tollatur. Melius tamen intellexit textum illum Soto supra dicens, quocumq; tempore posse concordiam fieri, & cessationem tolli: nam hoc est, quod Pontifex intendit, & non grauare Ecclesiam reseruando sibi relaxationem talis cessationis, neque in illo textu est vllum verbum, ex quo talis reseruatō colligi possit. Vnde mensis ille conceditur quasi ad deliberandum, & tanquam permissio quædam illius discordiæ, & durationis cessationis: accessus autem ad Romanā Sedem post illud tēpus præcipitur, vt vexatio det intellectum, & ita compellatur, vel timore, vel radio affectu, ad pacem procurandam, & cessationem tollendam. Vnde quoties hic finis obtentus fuerit, necessarium non est vterius in litis prosecutione apud Sedem Apostolicam progredi. Quod insinuat Sylu. verb. *Cessatio*, dicens, recurrendum esse post mensem ad Sedem Apostolicam, vt discutatur quid super hoc sit agendum, nisi interim per mutuam concordiam cesset cessatio.

Tria vero circa has conditiones, & causas declaranda supersunt. Primum est, an omnes istæ conditiones sint de substantia cessationis, ita vt, qualibet deficiente, sit nulla. Nam Ioan. Andr. in d. c. *Quamuis*, absolute affirmat, quem sequi videtur Ang. & Syluest. referentes alios: nam absolute aiunt, his non seruatis cessationem non seruari. Sed, vt iam dixi, in c. *Si Canonici*, nullum est verbum indicans substantialem necessitatem: in c. vero, *Quamuis*, in finalibus verbis hoc insinuat cum dicitur, *Parte in super à diuinis cessante supra scripta, tam in cessando, quam in veniendo, siue mittendo ad Sedem Apostolicam, non seruetur cessatio, sed ea non obstante, vt prius in ipsa Ecclesia celebratur*. Nam ex his verbis duo colliguntur manifestè: primum est, si in ponenda cessatione (hoc enim est quod dicitur, *parte cessante*) non seruentur conditiones ibi præscriptæ, cessationem esse nullam; nam si seruanda non est, & ea non obstante, celebrandū est, profecto nullum effectum habet atque nulla est. Vnde in hoc solum dubitari potest, an hoc intelligendum sit de solis conditionibus additis in eo cap. vel etiam de alijs positis in cap. *Si Canonici*, quia ibi solum dicitur, *supra scripta non seruando*. Nihilominus tamen, quia in principio cap. refertur constitutio Gregorij X. in d. cap. *Si Canonici*, & denuo confirmatur addendo alias conditiones, ideo illa vltima verba videntur referri ad totam formam ferendi cessationem ex vtroque decreto resultantem. Et ita videtur intellexisse Ioan. Andr. & alij auctores: & mihi videtur satis probabilis sententia, eam tamen non censere extendendam ad cessationes ordinariarum Prelatorum, cum de illis non sit sermo, & sit res valde rigorosa; sed, vt dixi, consulenda erit, & seruanda consuetudo.

Aliud, quod ex dictis verbis colligitur, & quamuis cessatio sit iuste, & cum omnibus conditionibus posita, si pars, quæ illam posuit non seruauerit vltimam conditionem positam recurrendi post mensem ad Sedem Apostolicam, cessationem ipso iure tolli transacto mense, & parte illa in mora existente. Oportebit autem, vt sentio manifeste constare partem illam esse in mora culpabili: quia, dum hoc non ita constat, semper retinet ius suum, præsertim cum cessatio valida fuerit. Quæritur autem potest, an idem sit dicendum, si altera pars, ob cuius culpam cessatio ponitur, in simili mora fuerit. Respondetur, minime id dici posse, tum quia in textu non habetur, tum etiam quia non est similis ratio; alioqui ex sua inobedientia commodum reportaret. Nam quod cessatio tollatur, id est, quod illa pars maxime intendit. Addunt præterea Syluest. & Angelus, cessationem non esse seruandam ab alijs, si pars, quæ illam posuit, eam non seruet: sed hoc in illo textu non habetur, neque in alio, quem ego viderim, neque etiam ap-

paret ratio, cur potius hoc dicamus in cessatione, quam in interdico, vel excommunicatione.

Secundo declarandum est, quam penam incurrat is, qui sine legitima causa cessationem posuerit: olim enim nulla propter hoc erat certa pena statuta ipso iure, sed arbitrio Superioris imponenda erat iuxta dictum §. *Ceterum*, postea vero in dict. cap. *Si Canonici*, in penam præscribitur, vt si Capitulum fuerit, quod cessationem posuit, quidquid Canonici de fructibus illius Ecclesiæ tempore cessationis perceperint, restituant; & quidquid eisdem ex bonis talis Ecclesiæ dandū fuisset, non detur, sed ipsi Ecclesiæ cedat; ac deniq; vt parti, contra quam cessatur de damnis, & iniurijs satisfacere teneantur. Vbi potest dubitari, an obligatio ad has restitutiones statim oriatur ipso facto, vel necessaria sit iudicis condemnatio: nam ex textu nō satis colligitur illud prius, & ideo videtur dicendū posterius, iuxta generalē regulam legū poenaliū. Dicendū vero est, hanc obligationem maiori ex parte non esse propriam penam, sed ex intrinseca iustitiæ ratione ortam. Nam, si illi sine causa cessant à diuinis officijs, non iuste recipiunt fructus, & cum faciant iniuriam alteri, ex natura rei tenentur ad satisfactionem. Itaque attente considerandum erit, pensatis circumstantijs singularum personarū, an obligatio hæc oriatur ex aliquo titulo iustitiæ, nam tunc, quantum ad conscientiam spectat, non est necessaria sententia iudicis, tamē, si vltra hoc aliquid, fuerit poenale, vel reducens in personas innocentes ex errore totius communitatis, nō exultimo teneri ad hanc restitutionē, prius quam cōdemnentur. Addunt vero Sylu. & Angelus cum Geminiāno, hanc penam extendi ad omnes cessationē imponentes sine iusta causa, etiā si textus tantū de Capitulis loquatur. Quod exilimo verum quantum ad obligationem restituendi ortā ex actione iniuriarum, obligatio vero ad poenalem arbitrio Superioris standum erit: quia non oportet extendere legem poenalem vltra personas, de quibus loquitur.

Vltimo declarandum est, quando cessatio iniuste est, quam penam incurrat is, qui causam dedit. Respondetur, primū teneri ad omne interesse personis, & Ecclesiæ, cui debitum officij eius culpa est subtractū. Deinde, arbitrio Superioris condemnandum esse in aliqua quantitate conuertenda in augmentum diuini cultus. Vnde constat, priorem partē restituendam esse statim: quia non est propria pena, sed recompensatio damni illati, aliam vero partem requirere iudicis condemnationem, vt in textu expresse dicitur. Ex quo recte confirmantur quæ in proximo puncto diximus.

SECTIO IV.

A quo, & quomodo tollenda sit cessatio à diuinis.

E Vm cessatio nunquam fit à iure vt supra dixi, sed ab homine in modo relaxationis eius seruanda sunt principia posita circa ablationem censuræ ad hominem impoſitæ. Itaq; solum tolli potest ab eo, qui illa posuit, vel successor eius, si ille decessit, vel etiam à Superiore, reliqui enim iurisdictionem non habent nisi per delegationem committatur, quod etiam fieri potest: quæ omnia clara sunt ex dictis. Denique in modo tollendi nulla est præscripta forma. Solum oportet, vt iudex voluntatem suam sufficientibus verbis explicet, sicut de alijs diximus: est enim eadem ratio. An vero sufficiat solum factum eius, qui cessationem tulit non seruando illam, iam diximus superiori sectione, non sufficere.

Quæritur vero potest, an sine huiusmodi relaxatione interdū ipso facto ac per sese tollatur cessatio. Distinguitur

Soto.

Sylu.

Vi dictæ conditiones sint de substantia cessationis.
Ioan. Andr.
Angel.
Sylu.

Ioan. Andr.
Sententia affirmans probabilis, non tamen extenditur ad cessationem ordinariam.
Prelatorum.

Quando tollatur cessatio ob defectum conditionis recurrendi ad Papam.

Improbatur Syluest. & Angel.